



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Hunoldi Plettenbergi[i] E Societate Jesu Introductio Ad Jus Canonicum

Plettenberg, Hunold

Hildesii, 1692

Caput VIII. Differentiæ in libro 3. occurrentes.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62983](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62983)

Romanam. 2. q. 6. Jure civili vero appellare licet ad Judicem sæcularem. *Auth. Si quis litigantium C. de Episc. audient.*

72. Jure Canonico crimen confessus non potest appellare. *c. Cum speciali 61. de appell.* Jure civili vero requiritur, ut etiam sit convictus *l. observare, ubi Glos. C. Quorum appell. non recipiuntur.*

73. Jure Canonico appellatio non suspendit excommunicationem. *c. Præterea. c. Pastoralis de appell.* Jure civili vero suspendit, ut aliud quodcunque judicatum. *l. 1. ff. ad S. C. Turpi §. 11. l. fin. C. Si à non comp. Jud.*

C A P U T V I I I.

Differentiæ in Libro tertio Decretalium occurrentes.

Tit. X.

1.

IN alienatione rerum immobilium Ecclesiæ alia solennitas jure Canonico, alia jure civili requiritur. *c. Sine exceptione 12. q. 2. Auth. Hoc jus porrectum. C. de sacr. Eccles.*

Tit. XVII.

2. Jure civili venditor præcise non tenetur dare rem venditam emptori, sed sufficit quod det interesse. *l. 1. ff. de act. emp.*

emp.

emp. & vend. l. Si traditio C. eod. At jure Canonico præcisè rem ipsam tradere tenetur secundum Hostiensem *in c. Cum Joannes de fid. instrum.*

3. Si quis emit rem aliquam mea pecunia, sed suo nomine jure civili habet jus in illa *l. Si ex ea pecunia C. de rei vindic. l. Qui vas ff. de furt.* At jure Canonico si res empta sit pecunia scænebri vendi & restitui debet pecunia. *c. Cum tu de usur.* Idem est si aliena pecunia res empta sit, *c. Non est putanda. i. q. i.*

Tit. XVIII.

4. Jure civili locator finito tempore locationis domum alii locare potest, etiam invito primo Conductore. *l. Ne cui C. de locato & cond.*

5. Jure civili Emphyteuta qui triennio Canonem non solvit expelli potest. *l. 2. C. de jure Emphyt.* At jure Canonico, qui duobus annis Canonem præstare negligit Emphyteusim amittit, permittitur tamen moræ purgatio. *c. Propter, de loc. & conduc.*

Tit. XXI.

6. Jure Canonico licitum est pignorrare bona Ecclesiæ sacra & Religiosa. *c. i. de Pign.* Secus jure civili. *l. 3. C. Quæ res pign. oblig. poss.*

7. Jure civili fructus ex re pignorrata

rata

rata extenuant sortem. *l. 1. & 2. C. de pig. act.* Sed in jure Canonico contrarium est in duobus casibus. *c. 1. de feud. c. Conquestus de usuris. c. Salubriter eod.*

Tit. XXV.

8. Jure Canonico ædificium ædificatum in solo alterius ex pecunia Ecclesiæ trahit ad se dominium soli favore Ecclesiæ. *c. Apostolicos. 12. q. 2.* Jure civili vero ædificium semper cedit solo. *l. Redemptores ff. de rei vendic. Instit. de rerum divis. §. Cum in suo.*

Tit. XXVI.

9. Jure Canonico, qui extremam voluntatem alterius dispositioni committit, non videtur decedere intestatus. *c. Cum tibi de Testam.* Secus jure civili. *l. Illa institutio ff. de hered. instit. l. Captatorias eod.*

10. Jure civili in testamento solenni septem requiruntur testes, in Codicillis regulariter quinque. *l. Hac consultissima C. de testam. & l. fin. C. de codicillis.* At jure Canonico in relictis ad pias causas sufficiunt duo vel tres testes. *c. Cum esses 10. c. Relatum de Testam.* Quod in omnibus locum habere asserunt nonnulli *Bart. 104.*

11. Jure Canonico in testamentis testes esse foeminae possunt. *c. Quoniam. c. In literis, de test. & attest.* Non jure civili. *l. Ex*

1. *Ex eo* 18. ff. *de Test. i Qui testamento*, ff. *Qui testam. fac. poss.* In causis vero civilibus & criminalibus adhiberi honestæ fæminæ possunt secundum Leges & Canones.

12. Jure Canonico Clerici de bonis propriis testari possunt. *c. Sint manifeste* 12. q. 1. & *c. 1. 5. ead.* At jure civili de quaesitis labore & industria sua non possunt testari, sed cedunt Ecclesiæ. *Auth. Licentiam C. de Episc.*

13. Jure Canonico usurarius manifestus non potest testari nisi prius præstita satisfactione de usuris ablati. *c. Quanquam, de usur. in 6.* At jure civili videtur posse testari. *tot. Tit. ff. & C. de Testam. Inst. quib. permis. fac. testam.*

14. Jure Canonico non valet indistinctè legatum rei alienæ. *c. Filius de Testam.* At jure civili distinguitur. *l. Cum alienam C. de Legat. l. Si res obligata ff. de Legat.*

15. Jure Canonico Monachus in hæreditate sibi delata æquiparatur filio familias, ut Monasterium possit adire delatam hæreditatem Monacho, ejusque consensus non sit necessarius. *c. In præsentia, de prob. & l. Cum proponas C. de hæred. instit.* Sed jure civili videtur potius æquiparari Servo juxta dictam legem: *Cum proponas* Advertendum tamen, quod

quod cum Professio paupertatis incapaces reddat ad proprium quippiam sibi acquirendum, sed omnia Monasterio acquirantur, Monachum sic comparari servo, at quo ad modum filio familias assimilari. *l. ult. C. de bonis quæ.*

16. Jure civili hæres filius non implens voluntatem defuncti privatur hæreditate, salva tamen legitima. *l. fin. C. de fidei comm. Auth. Hoc amplius eod.* At jure Canonico privatur etiam legitima. *c. Sylvester II. q. I.*

16. Jure Canonico hæres tenetur ex delicto defuncti, licet ad eum nihil devenit ex delicto defuncti. *c. fin. de sepult. c. In literis de rapt. Secus jure civili. l. I. C. Ex delict. defuncti l. In hæredem ff. de calumn.*

18. Jure civili hæres qui facit inventarium non tenetur ultra vires hæreditatis. *l. Scimus C. de jure deliber. Sicuti tenetur non conficiens inventarium. Auth. de Hæred. & falcid. & fin. C. de jure delib.* At jure Canonico sive inventarium confecerit, sive non, non tenetur ultra vires hæreditatis. *c. In literis, de rapt. c. Tu nos de usur.*

19. Jure Canonico pro legitima filiorum consequenda revocantur alienata per Parentes in fraudem liberorum, etiamsi alienatio facta sit ex causa onerosa,

rosa,

rosa, puta venditionis vel permutatio-
nis. *c. Raynutius de Testam.* Sed jure civili
revocantur tantum alienata in fraudem
ex causa lucrativa. *l. Nonusque adeo ff. Si à
Parente quis fuer. manu.*

Tit. XXVII.

30. Jure civili mortuorum corpora
extra civitatem ad sepulturam efferen-
da sunt. *l. C. de relig. & sumpt. fun.* Sed
jure Canonico fidelium defunctorum
corpora non tantum in Urbe & Cœmi-
terio, sed etiam in Ecclesia sepeliuntur
c. Cum gravia & c. seq. 13. q. 2.

21. Lege civili non sunt ornamenta
cum corporibus sepulchro inferenda.
*l. Et si quis §. Non autem ff. de relig. & sumpt.
funer.* At jure Canonico Patriarchæ &
Archi-Episcopi cum Pallio sepeliuntur.
c. 2. de auct. & usu pall.

Tit. XXX.

22. Secundum leges fructus intelli-
guntur & decimæ exhibentur deductis
expensis. *l. fructus ff. soluto matrimon. l. à
Domino §. fin. de hered. petit. & l. fundus §.
ff. familiae Hercis.* At jure Canonico deci-
mæ solvendæ sunt integræ de omnibus
omnino fructibus nulla impensarum fa-
cta deductione. *c. Cum homines, c. Non est
in potestate c. Tuo nobis de decim.*

23. Jure civili fit mora non ex re,
sed

sed ex persona, si interpellatus debitor congruo loco & tempore non solverit. *l. Mora ff. de verb. oblig.* At jure Canonico fit mora re ipsa in tarda solutione decimarum. *c. Decimæ 16. q. 1. c. Cum homines, de decim.*

Tit. XXXII.

24. Secundum leges justa est causa divortii & solvitur matrimonium per votum continentiae ab altero conjugum factum §. *Distrabuntur Novell. Authent. De nupt.* At secundum Canones ejusmodi votum absque consensu comparis non est licitum. *c. 1. & seqq. 33. 45. c. Ex publico de convers. conjug. c. Agathosa. 27. q. 2.*

Tit. XXXIV.

25. Jure civili impubes, aut filius familias sine Patris auctoritate voto non obligatur. *Si quis rem §. voto ff. de pollicit.* At jure Canonico votum ab impubere editum est validum & obligat. *c. Venientis de voto. c. Mulier 32. q. 2.*

Tit. XXXVI.

26. Jure Canonico dicitur locus Religiosus qui auctoritate Episcopi constructus aut consecratus est. *c. Adhæc, de Relig. dom. c. Nemo Ecclesiam de Cons. Dist. 1.* At jure civili Religiosus locus illatione mortuorum efficitur. *l. Cum in diversis & l. Locum ff. de relig. & sumpt.*

Tit.

Tit. XXXVIII.

27. Jure civili Patronus Laicus Ecclesie indignum presentans ea vice privatur jure suo *auth. de sanctiss. Epif. coll. 9. cap. Si quis orat.* At jure Canonico Laicus non privatur. *c. Cum vos de offic. ord. c. Pastoralis de jure patron.* Privatur tamen persona Ecclesiastica indignum presentans. *c. Cum in cunctis de elect.*

Tit. XXXIX.

28. Secundum Canones imponens nova & insolita vectigalia privatur communionem Ecclesie. *c. innovamus de cons. c. Paternarum 24. q. 3.* Secundum leges in exilium relegatur. *l. penult. C. Vectigal. nova institui non posse.*

Tit. L.

29. Secundum Canones Clericis studium juris civilis prohibetur. *c. Super specula de privil.* Secundum leges vero omnibus id permissum est. *arg. l. Nec non §. Quod eis ff. Ex quibus causis major.*

CAPUT IX.

Differentie quæ in Libro quarto Decretalium occurrunt.

Tit. I.

I.

EX sponsalibus inter consanguineos contractis, licet nulla sint, oritur